



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

cxxix [i.e. xix]. Creatio distinguitur à creato Creatore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

potentia passiva reducitur ad actum, & quod mediâ actione exercet virtutem suam passivam; quod tamen ab ea non denominabitur agens, cum illud solum ab actione capax sit denominari agens, à quo ea effective procedit. Sic dum ignis una actione plures calefacit homines, eadem actio non erit in pluribus locis, quia hi plures homines, & spatium intercedens inter eos, erit passum adæquatum hujus actionis divisibilis. Quinimò actio eductiva ut talis est in passo; etsi enim quatenus præcisè actio est, non dicat subjectum inhætionis, dicit tamen illud, quatenus talis est actio, elicit nimirum dependenter à subjecto: unde tamen non sequitur, actionem eductivam ut actionem eductivam, esse formaliter passionem.

XIX. Actio creativa est productio causativa rei ex nihilo subjecti, sive ex non præexistente vel præsupposito subjecto influente in genere causæ materialis. Distinguitur & illa tam à Deo creante ejusque volitione, quâ ipse vult absolute & efficaciter communicare hic & nunc rebus esse sine dependentia à subjecto; hanc enim habuit Deus ab æter-

h

no,

no, absque eo, quod res ab æterno crearetur; quam à termino non tantum educibili, aut à Deo & creatura simul creabili (patet enim, ab eo posse separari creationem, si nimirum educatur, vel saltem hanc specie creationem, quâ creatur à solo Deo, si creetur à Deo & creatura simul) sed etiam à termino tantum à solo Deo creabili; etsi enim talis terminus, utpote creatura, per suam entitatem exigit à Deo dependere, sitque ipsa radicalis dependentia, vi cuius non possit esse sine aliqua actuali dependentia à Deo, ipsa tamen formalis dependentia, quâ actu & formaliter à Deo dependet, est illi quid superadditum, adeoque non essentialis; imò licet sine aliqua indeterminata dependentia formali concipi & esse non posset, hæc tamen indeterminata dependentia non magis erit de eius essentia, quam ubicatio, vel etiam ipse Deus. Est in termino, tanquam in subjecto adhesionis.

XX. Actio & virtus creativa, saltem principalis, ita Deo est propria, ut nulli enti creato aut creabili, ne quidem divinitus, possit communicari. Ex virtute enim creativa colligunt SS. PP. infinitatem naturæ, & ex
hac